

ciebant, per duo iam saecula, non tam cathedram quam viros, in ea sedentes, omnes boni, etiam exteri, & a factis Lutheranis alieni: hodie vero, tanquam *περιπαθαινα* quoddam, vna cum viris inson- tibus, ipsimet Germani, & qui socii Aug. Conf. Immutatae nominari volunt, rident, subsannant, calumniis sine modo, sine fine, onerant, & velut Numantiam quandam, aut Carthaginem, deletam cupiunt. *Haeresiopoeias, intemperiei, dictaturae, tyrannidis, nescio cuius, pseu- dorthodoxias, Pbarisaismi* accusatur; cum *Corano Turcarum* compara- tur, immo infra eundem collocatur; *Neo-Pbarisaeorum cathedra, fa- bulae Pietisticae auctor, cathedra rixarum plena, cathedra, quae an- tiquum obtinet, & quae plura sunt elogia, quibus eam dignatur vel vnus Antibarbarus.* Et, quod magis mireris, etiam JO. CONR. ZELT- NERVS (notatus propterea a Cl. Viro JO. CHR. COLERO, in Hist. GOD- ARNOLDI) vbi de Correctoribus eruditis agit, *insaniam orthodoxyo- rum Vitembergensium* interpretatur, quod in *titulis disputationum sua- rum conspiciendam* praebeant, & hoc ipso, eam *vsq. ad cacbinnum ex- tolli, praecordiaque saniorum moueri*, arbitratur. Quasi vero non alia sint, quae sanorum praecordia moueant, aut mouere debeant, & qua- si hoc vnquam potuerit piis & prudentibus displicere. Quis enim haec, per duo iam saecula, vbi sincerior aestimatio doctrinae Lutheri flore- bat, improbavit? vix quisquam occurrit. Illud igitur plane calu- mnam sapit, quando M. IO. PH. BERN. JÜNGLING, qui causam DICÆ nuper infeliciter satis peroravit, Vitembergensibus *superstitiosam Lu- theri cathedrae venerationem* adscribit, nulla alia causa, quam mera conuiciandi libidine adductus, & vel solo hoc nomine attentione pa- rum dignus. Desino ergo hic. Vti enim omnes bonos, quibus doctri- na Lutheri curae cordique fuit, & erit semper, neque puduit vnquam, neque pudebit Lutheri cathedrae: ita facile apparet, iis omnibus, qui- bus cathedra Lutheri sudes in oculis est, ipsam quoque doctrinam Lutheri displicere. Sed neque me poenitebit vnquam, vel haec talia ex ipsa Lutheri cathedra aliquando monuisse, vel etiam toti huic labori, cum verbis piorum maiorum, quae in fronte Lu- theri cathedrae cernere est, hunc imposuisse

colophonem: *κατασκευασθαι εν τω θεω*

CONSERVA CATHEDRAM LVTHERI, SVMME IEHOVAH!

*qui sit honor & gloria, Amen.*